



**S**ebastianus Tiguri apud Heluetios natus, & in bonis literis optimè institutus est. In primis uero Græcæ ac Latinæ linguae operam dedit, & præclarum earum usum sibi comparauit. Hisce Theologiæ studium coniunxit, & sacrarum literarum lectionem sibi familiarem reddidit. Itaque ad honestas functiones in patria uocatus, eas piè administrauit, atque ob uarias uirtutes cunctis gratus extitit. Vertit is Hesiodi Theogeniam ad uerbum. præterea Aristophanis comoedias omnes, adiectis quoque annotationibus. Deinde quoque Tragoediam Gregorij Nazianzeni de Christi passione, atque Basileæ Anno salutis humanæ millesimo quingentesimo quinquagesimo ædidit: cum multis alijs huiusmodi, quæ partim extant, partim ad nonum annum reseruantur. Hinc factum, ut Sebastianus cunctis doctrinis innotuerit, patriam exornarit, atq; hic locum inter uiros doctissimos meritò nactus fuerit, Con. Gef. in Biblioth,